



V
B J
C

Tabul

T

De imi
omnii
De hun
De doc
De pru
De lect
De inor
De van
De caue
De obe
De caue
De pace
capit.
De vtil
De tem
De tem
De opi
De suff

Tabule capitulorum in libros sequentes

Capitula libri primi.

Capitula secuudi libri.

Capitula libri tercij.

Capitula libri quarti.

Tabula.

Jhesus Cristus Maria

Jhus maria

Finit tabula

Modus dicendi pr nr

[illegible]

Pr noster

[illegible]

Ave maria

[illegible]

cogitabis — passionem

Super secundum punctum
[illegible] nunciatoris passionis
Grandis amoris [illegible]
dolorose separacionis
dolorose iteracionis
Traditorem denunciacionis
pedum lotionis
Sacramenti institucionis
Exempli dandi
Imminentis passionis
Tue orationis
De loco exitus
Animi stabilitatis
Sanguinis sudacionis

Secundum gaudium visitacio Elizabeth

cogitabis
Super secundum punctum
[illegible] proditoris appropinquationis
Jude ad salutem [illegible]
Judeorum interrogacionis
Judeorum prosternacionis
Auricule curacionis
Jhesu capcionis
Corde in collo positionis
Jhesu in terram prosternacionis
Ignominiose manuum [illegible]
De orto [illegible]
Circa tortorem et in via
In platea phariseorum
passionem

Gaudium [illegible]

Si [illegible] punctum
Jhesu [illegible] ante ductionem
A petro ibi negacionem
Ab anna interrogacionem
A ministro colafizacionem
Jhesu benignam responsionem
De [illegible]
Marie [illegible] nunciatorem

Tertium gaudium adoracio regum

Super tertium
pat[illegible]
Jhesum ad cayphan ductionem
Cayphe [illegible]
[illegible] falsorum testium productionem
Cayphe Jhesu interrogacionem
Jhesu humilem responsionem
A pontifice vestium [illegible]
Jhesu [illegible] consputacionem: passionem
Jhesu [illegible]
colaphizacionem etc.

In celarium introducitur
Colafisatur
Flagellatur
usque ad diem passionis
Quintum gaudium
presentacio
et in honore istius gau
dii dic x Ave maria
post ca[n]tica anc scripta
Salue regina v O
gloriosa domina v diffusa
Oratio Deus qui beate ma
rie virginis tue matris gloria
speciem in tempore corona
sti tribue quod eius sola
tiis fruens in celis aug
gaudia Ecclesia in terris
Concede nos famulos te
dimitte auxilio dita
nos dum vivimus etc
Sequitur octauum pr
Cogitationibus quo[d] dicatur
Ihesus ipse eorum ligatus
Judas a se ipso suspenditur
De veritate accusatur
A pilato examinatur
A christo veritas professit[ur]
Innocentia eius proclamatur

Ad herodem mittitur
De multis interrogatur
Ab herode spernitur
Alba veste induitur
Trahitur impellitur pungitur
Ad pilatum ducitur
In via prosternitur
Sextum gaudium
inuencio intebatur
Sequitur nonum pr
Ihesus a pilato liberatur
Ignominiose flagellatur
Virgis pungitur
Flagellis ceditur
Cathenis laceratur
A columna pilati abscinditur
In terram prosternitur
Septimum gaudium re
surrectio filii
Sequitur decimum pr
Ihesus veste induitur
Ad sedem collocatur
Spinis coronatur
Arundo ei datur
Aue rex dicitur
Ante eum genua flectunt
Arundine percutitur
~~Flerat edunt~~
~~Maria ad terram prosternit~~

Sna
qnq
fena

8i gau[dium] ascensio filii sui

S[ecundu]m hora[m] prime

Pilatus educatur
Maria ad terram prosternitur
A iudeis crucifige proclamatur
Ad tribunal ducatur
Jhesus ad mortem sentenciatur
De pretorio educatur
Vestis rubea deponitur
Mancera xpi inanatur

Spiritus sancti missio

S[ecundu]m x[?]m pr[ime]

Vestis propria induitur
Cathena collo suspenditur
Crux humeris imponitur
Ad locum calvarie ducatur
Jhesus ad terram prosternitur
Maria filio occurrere cupit
Filius ei compatitur
Symon portare crucem cogitur
Mulieres alloquitur
A iudeis impellitur
In monte calvarie prosternitur
Corpus eius denudatur
Corona vestibus extrahitur

Decimum gaudium assumptio beate virginis

[D] s[?] xim pt

Cogitatibus quo dixit Jhesus
In lapide collocatur
Corona noviter imprimitur
Crux perforatur
Jhesus irridetur
Per manus pedes cruci affigitur
In crucem prius figitur
In toto corpore offenditur
In manibus pedibus clavis af-
Omnia membra extenditur
Sursum extollitur
Ab omnibus cernitur imitatur
Maria ad terram prosternitur
Velo suo capitis filius tegitur
Jhesus in cruce elevatur
Crux in foramen vehementer
Vulnus quoque rumpitur
Sanguis Christi funditur
Titulus super caput scribitur
A latronibus blasfematur b
A iudeis irridetur
Pro inimicis deprecatur a
Latroni paradisum promittit c
Matri Christi Johannem commendat

Gaudium celi

Plenitudo glorie super omnes angelos et sanctos
Decoratio claritatis super omnes celos et sanctos angelos

Cena grasia

Sup iiii pt
cogitabilis . narz sessioz
Jhu dulcez oroem
Jhu magna pa^oz z re:
Jhu fellis potacoz
Jhu vociferacoz
Jhu expiracoem
capitis ad mi^cz iclinacoz
veli scissioz
tre motionez
petraz scissioz
monumentoz apercz
corporum resuscitacz
Gaudia celi
Exaltacio sup oes
choros an. loz z scoz
Confirmata volu
tas qz volu. tas eius
unita e volunti dnic
S^t xiii pt
lateris apparicionem
Celi illuminacoem
scalarum applicacoem
Clauoz deposicoz
mulieris lamentacoem
Corpis eius deposicoem
panni sindonis sepelicoz
mris fatigacoem
Gaudiuz celi
Eminencia ad oes
eius sanctos scdm eius uoluntate
et arbitrium

S^t xvi pt
Gloriosaz resurreccoem
mris salutacoem
Marie magd^e apparicoem

Gaudiu marie
Approximacio scte trinitatis
qz deo trino i psonis et vno
in essencia e ppinqua
S^t xvii pt ...
Cu discipulis refectioz
de ciuitate educcionez
In monte oliuarum apparicioz
mris valedictioem
In aerez subleuacoem
Spussancti missioem

Gaudiu marie
Assecuracio eterne glie
qz secura e qz gla eius
in eternum manebit Et quod
petit a filio exauditur

finitur hic et z^e ...
... hic in pnia
finitur hmg ... ise
...

Incipit liber primus fratris Thome de Kempis: canonici regularis ordinis sancti Augu. De imitatõne xpi et de cõtemptu oĩm vanitatũ mũdi. Capitulũ primũ.

QUi sequitur me nõ ambulat in tenebris. sz habebit lumen vite dicit dns Hec sunt verba xpi quibus ammonemur quatenus vitã eius et mores imitemur si velimus veraciter illuminari et ab omi cecitate cordis liberari. Summũ igitur studiũ nostrũ sit in vita iesu xpi meditari. Doctrina xpi oẽs doctrinas sctõrum pcellit. et qui spiritũ xpi haberet: absconditũ ibi manna inueniret Sz cõtingit q multi ex frequenti auditu euãgelij parũ desideriũ sentiũt qr spm xpi non habent. Qui aũt vult plene et sapide

xpi verba intelligere oportet vt totã
vitã suã illi studeat ꝯformare Quid
ꝓdest tibi alta de trinitate disputare
si careas humilitate vnd displiceas
trinitati. Uere alta ꝟba non faciũt
sanctũ ⁊ iustũ: sed virtuosa vita effi/
cit deo charũ Opto magis sentire cõ
punctionẽ: ꝙ scire eius diffinitionẽ
Si scires totã bibliam menteten⁹ ⁊
oĩm philosophoꝝ dicta qd totũ pro
dessit sine charitate dei ⁊ gratia Ua
nitas vanitatũ ⁊ oĩa vanitas: pre
ter amare deũ ⁊ illi soli seruire Ista
est summa sapientia ꝑ contemptum
mũdi tẽdere ad celestia regna Uani
tas igit̃ ẽ diuitias perituras ꝙrere ⁊
in illis sperare. Uanitas quoqꝫ est
honores ambire ⁊ in altũ se extollere
Uanitas est carnis desideria sequi.
illud desiderare vnde postmodum/
grauiter oportet puniri. Uanitas ẽ
longã vitã optare. ⁊ de bona vita pa

Locus insignis



vel ibi. nõ inuenies quietez nisi in humi
li subiectiõe sub plati regimine. Ima
ginatio locoꝝ ꝛ mutatiõ mltos fefel
lit. Verũ est ꝙ vnusquisqꝫ libẽter a-
git ꝓ sensu suo: ꝛ inclinat ad eos ma
gis q̃ secũ sentiũt. Sꝫ si deꝰ est inter
nos necesse est vt relinquamꝰ etiã quã
qꝫ nr̃m sentire ꝓpt bonũ pacis. Quis
est ita sapiẽs q̃ oĩa plene scire põt. Er
go noli nimis in sensu tuo ꝯfidere.
sed velis etiã libẽter alioꝝ sensuz au
dire. Si bonũ est tuũ sentire ꝛ hoc ipꝫ
ꝓpter deũ dimittis ꝛ aliũ seq̃ris ma-
gis exinde ꝓficies. Audiui em̃ sepe
securiꝰ esse audire ꝛ accipe consiliuz
q̃ꝫ dare. Põt em̃ cõtingere vt bonuz
sit vniuscuiusqꝫ sentire. sꝫ nolle aliis
acq̃escere cũ id ratõ aut causa postu
lat signũ est supbie ꝛ ptinacie

De cauẽda supfluitate vboꝝ. Ca. X

Caueas tumultũ hoĩm q̃ꝫtũ
potest: multuz em̃ ipedit tra

ctatus ſecularium geſtoꝛuꝫ etiam ſi
ſimplici intẽtione pferãtur. Cito eĩ
inquinamur vanitate ꝛ captiuamur.
Vellẽ me pluries tacuiſſe ꝛ inter ho
mines nõ fuiſſe. Sꝫ q̃re tã libenť lo
q̃mur ꝛ inuicẽ fabulamur cũ tñ raro
ſine leſione ꝯſcie ad ſilentiũ redimꝰ.
Jd̃ tã libenter loq̃mur: qꝛ ꝑ mutuaſ
locutões ab inuicẽ ꝯſolari q̃rimꝰ. et
coꝛ diuerſ cogitatõnibꝫ fatigatũ op
tamꝰ releuare. Et multũ libenter de
his q̃ multũ diligimꝰ vł cupimꝰ vł q̃
nob ꝯtra ſentimꝰ libet loq̃ ꝛ cogitare
Sꝫ ꝓh doloꝛ ſepe inaniter ꝛ fruſtra
Nã hec exterioꝛ ꝯſolatio interioꝛis
ꝛ diuine ꝯſolatiõis nõ modicũ detri
mentũ eſt. Jd̃ violandũ eſt ꝛ orãduꝫ
ne tp̃s ocioſe trãſeat. Si loq̃ licꝫ ꝛ ex
pedit. q̃ edificabilia ſunt loq̃re. Ma
lus vſus ꝛ negligẽtia pfectꝰ nr̃i mul
tũ facit ad incuſtodiã oris nr̃i. Ju
uat tñ nõ paꝝ ad pfectũ ſpũalẽ deuo

rū curare. Vanitas est pn̄tē vitam solū attendere. ⁊ que futura sunt nō pͥuidere. Vanitas est diligere qđ cū omni celeritate trāsit: ⁊ illuc nō festīa re ubi sempitnū gaudiū manet. Memento illius frequenter pūerbiȷ: qđa non saciat oculus visu: nec auris impletur auditu. Stude ergo cor tuū ab amore visibiliū abstrahere. ⁊ ad inuisibilia te trāsferre. Nā sequētes suā sensualitatē maculant cōscientiā ⁊ pdunt dei gratia.

De hūili sentire suiipi⁹. Ca II

Omnis hō naturaliter scire desiderat. sz sciā sine timore dei qđ importat. Melior est pfecto hūilis rusticus q̄ deo suit q̄z supbus phs q̄ se neglecto cursum celi ɔsiderat. Qui bn̄ seipm cognoscit sibi ipi vilescit: nec laudibȝ delectatur hūanis. Si scirē oīa q̄ i mōdo sunt ⁊ non essem in charitate: qđ me iuua

ret corā deo q̄ me iudicaturꝰ est ex fac
to. Quiesce a nimio sciēdi desiderio:
qꝛ mag̃ ibi inuenit᷑ distractō ꝛ decep
tio. Sciētes libenter volūt videri et
sapientes dici. Multa ḡ sunt q̄ scire
parū vl̄ nihil aīe ꝓsunt. Et valde in
sipēs est q̇ aliꝭs intēdit q̄ꝫ his q̄ salu
ti sue deseruiunt. Multa ꝟba non sa
tiant aīaꝫ: sꝫ bona vita refrigerat mē
teꝫ. ꝛ pura ꝯsciā magnaꝫ p̄stat ad de
umꝯfidentiā. Quāto plꝰ ꝛ meliꝰ scis
tāto grauiꝰ inde iudicaberis nisi san
ctius vixeris. Noli ergo extolli de vl
la arte vl̄ sciā. potiꝰ time de data tibi
noticia. Si tibi videt᷑ q̄ mlta scis ꝛ
satꝭ bn̄ intelligis scito tn̄ qꝛ sunt mlt
to plā q̄ nescis. Noli altū sape. sꝫ ig/
rantiā tuā magꝭ fatere. Quid vis te
alicui p̄ferre cū plures doctiores te ī
ueniātur: ꝛ magꝭ ī leg̃ e piti. Si vis
vtiliter aliq̄d scire ꝛ discere ama ne/
sciri ꝛ ꝓ nihilo reputari. Hec ē altis/

sima z vtilissima lectio suiipi⁹ vera co-
gnitio z despectō. de seipo nihil tene
re z ō aliis sp bñ z alte sentire: mag sa
pientia ē z pfectio. Si viders aliquē
apte peccare vl' aliq grauia ppetrare
nō debes te tñ meliorē estiare. qz ne-
scis q̄diu possis in bono stare. Oēs
fragiles sumus: s tu neminē fragili
orem teipso tenebis

De doctrina veritats Ca. III

Felix quē vitas p se docet nō
p figuras z voces trāseūtes
sed sicuti se hz. Nra opinio
z nr̄ sensus sepe nos fallit z modicū
videt. Quid pdest mag cauilatō ō oc
cultis z obscuris reb⁹ ō q̄bus nec ar
guemur ī iudicio qz igrauim⁹. Gran
dis insipiētia q neglects vtilib⁹ z ne
cessariis vltro intēdim⁹ curiosa z dā-
nosis. Oc'los hñtes non videm⁹. Et
q̄d cure nob ō generib⁹ z spēb⁹. Cui
eternū verbū loq̄tur a mlt'is opinio

nib9 expedit. Ex vno ꝟbo oīa ꝛ vnū
loquunt̄ oīa. Et hoc ē pͥcipiū qꝺ ꝛ
loquit̄ nob̄. Nemo sine illo intelli/
git aut recte iudicat. Cui oīa vnū sꝫ
ꝛ oīa ad vnū trahit ꝛ oīa in vno vidꝫ
pōt stabilis corde eē. ꝛ in ꝺo pacific9
ꝑmanere. O ꝟitas ꝺs fac me vnū te
cū in charitate ꝑpetua. Tedet me se
pe mlt̄a legere ꝛ audire. In te ē totuꝫ
qꝺ volo ꝛ desidero. Taceāt oēs ꝺo/
ctores. sileāt vniuerse creature in cō
spectu tuo. tu mihi loq̄re sol9 Quāto
aliq̄s magꝭ vnit9 sibi ꝛ interi9 simpli/
ficat9 fuerit: tanto pl̄a ꝛ altiōra sine la
bore intelligit: qꝛ desuꝑ lumē intelli
gētie accipit. Pur9 simplex ꝛ stabilis
spūs in mltis opib9 non dissipat̄: qꝛ
oīa ad ꝺi honorē opat̄ ꝛ ī se ocios9 ab
oī ꝓpria exq̄sitōe esse nititur Quis
te magꝭ ipedit ꝛ molestat q̄ꝫ tua imor
tificata affectio cordis. Bon9 ꝛ ꝺuo
tus hō opa sua pri9 int9 disponit q̄ fo

ris agere debz Nec illa trahūt eum
ad desideria viciose inclinatōis. sed
ipē iflectit ea ad arbitriū recte rōnis
Quis hz fortius certamē q̄ꝫ q̄ nitit̄ vin
cere seipm̄. Et hoc dz̄et eē negocium
nr̄m: vicere vicz seipm̄ ꝛ q̄tidie seipo
fortiorē fieri. atꝫ in meli9 aliq̄d ꝑfice
re. Ois ꝑfectio in hac vita quādā im
ꝑfectionē sibi hz annexā. ꝛ ois specu
latio nr̄a q̄daꝫ caligīe nō caret. Humi
lis tui cognitio certior via est ad deū
q̄ꝫ ꝓfunde sciē inq̄sitio. Nō ē culpan
da scīa aut q̄libet simplex rei noticia
q̄ bona ē in se ꝯsiderata ꝛ a deo ordi
nata sꝫ p̄ferēda est sp̄ bona conscīa ꝛ
v̄tuosa vita. Qr v̄o plures mag' stu-
dent scire q̄ꝫ bn̄ viuere: iō sepe errāt: ꝛ
pene nullū l' modicū fructū ferūt. O
si tantā adhiberēt diligētiā ad extir
panda vicia ꝛ v̄tutes iserēdas: sicuti
admouēdas q̄stiōes nō fierēt tanta
mala ꝛ scādala in ꝑplo: nec tāta disso
l.

lutio in cenobijs. Certe adueniente
die iudicij nō queret a nobꝭ q̄d legi-
mꝰ: sꝫ q̄d fecimꝰ. nec ꝗꝫ bn̄ diximꝰ sed
ꝗꝫ religiose viximꝰ. Dic mihi vbi sūt
mō oēs illi dn̄i ⁊ mgr̄i q̄s bene noui
sti dū adhuc viuerent ⁊ studijs flore
rēt Iā eorꝫ ꝓbendas alij possident ⁊
nescio vtrū de eis recogitāt. In vita
sua aliq̄d videbātur. ⁊ mō de illꝭ tace
tur. O ꝗꝫ cito trāsit glīa mūdi. Uti-
nā vita eorꝫ scie ipoꝫ ꝯcordasset: tūc
bn̄ studuissent ⁊ legissent. ꝗꝫ mlti per
eūt ꝑ vanā sciam in hoc seclo q̄ parꝫ
curāt de dei ſuitio. Et qꝛ magis eli-
gūt magni eē ꝗꝫ hūiles. iō euanescūt
in cogitatōibus suis. Uere magnꝰ
est qui magnam habet charitatē. Ue
re magnꝰ est q̄ in se puus ē ⁊ ꝓ nihilo
omē culmē honoris ducit. Uere pru
dēs est q̄ oīa terrena arbitrat̄ vt ster
cora vt xp̄m lucrifaciat. ⁊ vē bene do
ctus est q̄ dei volūtatē facit. ⁊ suā vo

luntatem relinquit.

De prudētia in agēdis Ca. IIII

Non ē credendū omi vbo nec instinctui sʒ cauete ɀ longanimiter res est ꝑm deū ponderāda: Proch dolor sepe malū facilius ꝙ bonū ꝺ alio credit ɀ dicit. ita infirmi sum⁹ Sʒ ꝑfecti vi nō facile credunt oī enarrāti. qꝛ sciūt infirmitatē humanā ad malū ꝓcliuā ɀ ī verbis satis labilē Magnā sapiētia ē nō esse precipitē in agendis: nec ꝑtinaciter in ꝓpriis sensib⁹ stare Ad hāc etiā ꝑtinet nō quibuslibet hoīm verbis credere nec audita vl' credita mox ad alioꝝ aures effundere. Cū sapiēte et consciētioso viro ꝯsiliuʒ habe ɀ q̄re p... a meliori instrui ꝙ tuas adinuentōes seq̄ Bona vita facit hoīem sapient⁹ ꝑm deū ɀ exꝑtuʒ in multis. Quāto q̄s in se hūilior fuerit ɀ deo subiectior. tāto in omnib⁹ erit sapi/

entior ꝛ pacatior.

De lectõe sctãꝝ scripturaꝝ Ca. V

v Eritas est in scripturis sanctis q̄renda nõ eloquentia. Ois scꝑtura sacra eo spū dꝫ legi q̄ facta ē Querere potiꝰ debemꝰ vtilitatē in scꝑturis q̄ꝫ subtilitatē sermonis Ita libēter deuotos ꝛ simplices libꝛos legere debemꝰ sicut altos ꝛ ꝓfundos. Nõ te offendat auctoritas scribētis vtrū pue vl' magne lr̄ature fuerit. sꝫ amor pure veritatis te trahat ad legendū. Nõ q̄ras q̇s hoc dixerit: sꝫ q̇d dicat attēde Hoīes trāseūt sꝫ ꝟitas dn̄i manet in eternū. Sine ꝑsonarū acceptõe varijs modis loquit nob deus Curiositas nr̄a sepe nos ipedit in lectõe scꝑturaꝝ: cū volumꝰ itelligere ꝛ discutere vbi simpliciter eēt trāseundum. Si vis ꝓfectū haurire. lege hūiliter simpliciter ꝛ fideliter nec vnq̄ꝫ velis hr̄e nom̄ sci

entie Interroga libēter ꝛ audi tacēs ꝟba sctoꝝ. nec displiceāt tibi ꝑabole senioꝝ sine causa em̄ nō ꝓferunt.

De inordinatis affectōibꝫ. Ca. VI

Quādocūqꝫ hō aliq̄d inordinate appetit statim in se inq̄etus fit Supbꝰ ꝛ auarꝰ nunq̄ q̄escūt Paup ꝛ hūilis spū in mlti/tudine pacis ↄuersat. Hō q̄ necdum ꝑfecte in se mortuꝰ est. cito tēptat et vincit in ꝑuis ꝛ vilibꝰ rebꝫ Infirmꝰ spū ꝛ qdammō adhuc carnal' ꝛ ad sensibilia inclinatꝰ: difficulter se pōt a terenis desiderijs ex toto abstrahere. ꝛ iō sepe hꝫ tristiciā cū se subtrahit. leuiter etiā indignat si q̄s ei resistit. Si āt ꝓsecutꝰ fuerit qd ↄcupiscit statim ex reatu ↄsciētie grauat. qꝛ secutus ē passionē suā: q̄ nihil iuuat ad pacē quā q̄siuit Resistendo igit' passionibꝫ inuenit ꝟa pax cordis. nō āt fuiēdo eis Nō est ergo pax in corde

hoīs carnalis ñ in hoīe exterioꝛib⁹
dedito. ſ3 ī feruido ⁊ ſpūali.

De vana ſpe ⁊ elatiōe
fugienda Ca. VII

Van⁹ eſt q̄ ſpem ſuā ponit in
hoīb us aut in creaturis. Nō
te pudeat aliīs ſuire amoꝛe ihū xpī
⁊ paupēm in hoc ſeclo videri. Non
ſtes ſup teipm ſ3 in dō ſpem tuā cō
ſtitue. Fac qđ in te eſt: ⁊ deus aderit
bone volūtati tue. Nō ꝯfidas ī tua
ſciā. vł cuiuſq̄ȝ aſtutia viuētis. ſ3 ma
gis in dei grā q̄ adiuuat hūiles. ⁊ de
ſe preſumētes humiliat. Ne gł'ieris
in diuitiīs ſi aſſunt nec ī amicis: qꝛ
potētes ſunt ſ3 in dō q̄ oīa pſtat. ⁊ ſe
ipm ſup oīa dare deſiderat. Non te
extollas de magnitudine vł pulcri/
tudine corpis: q̄ modica infirmitate
coꝛrūpit ⁊ defedat. Nō placeas tibi
ipi de habilitate aut ingenio tuo. ne
diſpliceas dō cui⁹ eſt totū q̄cq̄d hōi

naturaliter habueris. Non te repu/tes aliis meliorem ne forte corā deo deterior habearis: q̄ scit q̄d est in homīe. Nō supbias de opibus bonis q̄r alit̄ sunt iudicia dei q̄ꝫ hoim̄. cui sepe displicet q̄d hoib⁹ placet. Si aliq̄d boni habuerꝫ crede de aliis meliora. vt hūilitatē ꝯserues. Non nocet si oīb⁹ te supponas: nocet aūt plurimū si vl' vni te p̄ponas Iugis pax cū hūili. in corde aūt supbi zel⁹ ⁊ indignatio frequens.

De cauenda nimia familiaritate. Ca. VIII

Non oī hoī reueles cor tuū: sꝫ cū sapiente ⁊ timēte deū age cām tuā. Cū iuuenibus ⁊ extraneis rarus esto Cū diuitib⁹ noli blādiri ⁊ corā magnatis nō libenter appareas. Cū hūilib⁹ ⁊ simplicib⁹ cū deuotis ⁊ morigeratꝫ sociare. ⁊ que edificutōis sunt ꝑtracta Non sis fa

miliaris alicui mꝉieri. ſ3 in cõmuni
oẽs bonas mꝉieres deo cõmẽda So
li deo ⁊ angelꝉ ei⁹ opta familiaris eſſe
⁊ hoīm noticiã deuita Charitas ha
benda eſt ad oẽs. ſ3 familiaritas nõ
expedit. Quñqʒ accidit vt pſona igno
ta ex bona fama luceſcat. cui⁹ tñ pre-
ſentia oculos intuentiu3 obfuſcat.
Putam⁹ aliqñ aliis placere ex cõiun
ctione nr̃a ⁊ incipim⁹ mag3 diſplice-
re ex moꝝ im probitate in nobis cõ-
ſiderata.

De obediẽtia ⁊ ſubiectõe. Ca. IX

Valde magnũ eſt in obedien
tia ſtare. ſub p̄lato viuere. et
ſui iuris non eſſe. Mꝉto tu
tius ẽ ſtare in ſubiectõne q̃3 in p̄latu
ra. Multi ſunt ſub obedientia ma-
gis ex neceſſitate q̃3 ex charitate ⁊ illi
penã habẽt ⁊ leuiter murmurãt. nec
libertatẽ mentis acq̄rent niſi ex toto
corde ꝓpter deũ ſe ſubiiciãt. Curre3

ta spiritualiū rerū collatio. ꝛ maxime vbi pares animo ꝛ spiritu in deo sibi sociantur.

De pace acq̄renda ꝛ zelo proficiendi. Ca. XI

Ultā possem⁹ pacē hr̄e. si nō vellem⁹ nos cū alioꝝ dictis ꝛ fact; q̄ ad nr̄am curā nō spectāt occupare Quō pōt ille diu in pace manere q̄ alienis curis se intermiscet q̄ occasiones forinsecus q̄rit: q̄ parū vl' raro se intrinsec⁹ colligit. Beati simplices. qm̄ multā pacē hēbūt. q̄re quidā sctōꝝ tā pfecti ꝛ cōtēplatiui fuerūt. qꝛ oīno seipos mortificare ab hominib⁹ terrenis desiderijs stupuerūt. ꝛ iō totis medullis cordis dō inherere atq; libere sibi vacare poterūt' Nos q̄dez nimiū occupamur ꝓprijs passionib⁹ ꝛ de trāsitorijs nīs sollicitamur. Raro etiā vnū viciū pfecte vincim⁹. ꝛ ad q̄tidianū ꝓfectū nō accendimur. iō

frigidi ⁊ tepidi remanemꝰ Si essemꝰ
nobisipis pfecte mortui: ⁊ interiꝰ mi-
nꝰ īplicati tūc possemꝰ etiā diuina sa
pere ⁊ de celesti cōtēplatōe aliq̄d expi-
ri Totū ⁊ maximū ipedimentū ē. q꞉ n̄
sumꝰ a passionibꝰ ⁊ ꝯcupiscentijs libe
ri: nec pfectā sctōꝝ viā conamur ingre
di. Qn̄ etiā modicū aduersitatꝭ occur
rit: nimis cito dijcimur: ⁊ ad hūanas
ꝯsolatōes ꝯuertimur. Si niteremur
sicut viri fortes stare ī ꝑlio: pfecto au-
xiliū dn̄i videremꝰ sup nos d celo Ip
se em̄ certātes ⁊ d grā sua sperātes pa
tus ē adiuuare: q̄ nob certandi occasi
ones pcurat vt vicamꝰ. Si tm̄ in istꝭ
exteriioribꝰ obẜuātijs pfectū religiōis
ponimꝰ cito finez habebit deuotō nr̄a
Sz ad radicē securi ponamꝰ vt pur-
gati a passionibꝰ pacificā mentē possi-
deamꝰ Si oī anno vnū viciū extirpa
remꝰ: cito viri pfecti efficeremur. Sz
mō ecōtrario sepe sentimꝰ vt meliores

⁊ puriores in initio ɔuersiōis nos fu
isse inueniamꝰ q̄ȝ post mltos annos ꝓ
fessionis. Feruor ⁊ ꝑfectꝰ nr̄ q̄tidie de
beret crescere. sȝ nūc ꝓ magno videtur
si q̄s primi feruoris ptez possit retine
re Si modicā violentiā faceremꝰ in
pricipio tūc postea cūcta possemꝰ face
re cū leuitate ⁊ gaudio Graue ē assue
ta dimittere. sȝ guiꝰ est ɔ ꝓpriā volūtatē
ire. Sȝ si nō vincis parua ⁊ leuia: qn̄
supabis difficiliora. Resiste in princi
pio inclinationi tue ⁊ malā desiste cō
suetudinē: ne forte paulatim ad maio
rez te ducat difficultatē O si aduerte
res q̄tā tibi pacē ⁊ alijs leticiā faceres
teipm bn̄ habendo: puto q̄ solicitior
eēs ad spūalem ꝑfectum. Ca. XII.

De vtilitate aduersitatis

Bonū est nob q̄ aliqn̄ hēmꝰ a
liquas grauitates: ⁊ contrari
etates. qr sepe hoiem ad cor reuocāt q̄
tenꝰ se in exilio eē cognoscat: nec spem

suā in aliq̄ re mundi ponat. Bonū ē
q̄ patiamur qn̄q3 ꝯdictores ⁊ q̄ male
⁊ imp̄fecte de nob̄ sentiat̄. etiā si bn̄ a
gim⁹ ⁊ intendim⁹ Ista sepe iuuant ad
hūilitatē ⁊ a vana gl'ia nos defendūt.
Tūc em̄ melius interiorē testē deū q̄/
rim⁹ qn̄ foris vilipendimur ab hoīb3
⁊ non bn̄ nob̄ creditur. Jō deberet se
hō in deo totaliter firmare vt nō esset
ei necesse multas ꝯsolatōes q̄rere Qn̄
hō bone volūtatis tribulat̄ vl' tēptat̄:
aut malis cogitatōib3 āffligit̄. tūc deū
sibi magis necessariū intelligit. sine q̄
nihil boni se posse dep̄hendit Tūc eti
am tristat̄ gemit ⁊ orat p̄ miserijs q̄s
patit̄. Tūc tedet eū diuti⁹ viuere/ mor
tē optat inuenire vt possit dissolui. et
cū xp̄o esse: Tūc etiā bn̄ aduertit p̄fe/
ctā securitatē et plenam pacem in mū
do non posse cōstare.

De tēptatōib3 resistēdis. La. XIII

Quādiu in mūdo viuimus si

ne tribulatione: et temptatione esse
non possumus. Unñ in Job scriptū
est. Tēptatio est vita hoīs sup terraz
Jō vnusq̄sq̄z solicit⁹ esse deberet circa
tēptatōes suas ⁊ vigilare in oratiōib⁹
ne diabol⁹ locū inueniret decipiēdi q̄
nūq̄z dormitat. sz circuūit querēs quez
deuoret. Nemo tā pfect⁹ est ⁊ sctūs q̄
nō hēat aliqñ tēptatōes: ⁊ plene eis ca
rere nō possum⁹ Sūt tñ tēptatōes ho
mī sepe valde vtiles licet moleste sint ⁊
gues: q̄z in illis hō hūiliat̄ purgat̄ ⁊ e
ruditur. Oēs sancti p mltas tribula/
tōes ⁊ tēptatōes trāsierūt ⁊ pfecerunt
⁊ q̄ bñ tēptatōes sustinere neq̄uerūt re
probi facti sunt ⁊ defecerūt. Nō est ali
quis ordo tā sanct⁹ nec loc⁹ tā secret⁹
vbi nō sint tēptatōes vl' aduersitates
Non ē hō secur⁹ a tēptatōib⁹ totalit̄ q̄z
diu vixerit: q̄z in nob est vñ tēptamur
ex q̄ in ↄcupiscentia nati sum⁹ Una tē
ptatōe seu tribulatōe recedēte alia sup

uenit. ⁊ sp̄ aliq̄d ad patiendū habebi/
mꝰ Nā bonū felicitatꝭ nr̄e p̄didimus
Multi q̄rūt tēptatōes fugere. ⁊ grauiꝰ in
cidūt in eas. ¶ Per solā fugā nō possu/
mꝰ vincere: sꝫ p̄ patientiā ⁊ verā hūili/
tatē oībus hostibꝰ efficimur fortiores
Qui tm̄modo exteriꝰ d̄clinat nec radi
cē euellit parū p̄ficiet. imo citiꝰ ad euꝫ
tēptatōes rediet ⁊ peius sentiet. ¶ Pau
latim ⁊ p̄ patiētiā cū lōganimitate d̄o
iuuāte meliꝰ sup̄abis: q̄ꝫ cū duritia ⁊ i
portunitate ꝓpria. Sepiꝰ accipe ꝯsili/
uꝫ in tēptatōe. ⁊ cū tēptato noli duri/
ter agere: sꝫ ꝯsolatōeꝫ ingere sicut tibi
optares fieri. Initiū oīm malaꝝ tēpta
tionū incōstātia aī ⁊ p̄ua ad deū ꝯfi/
dētia. qꝛ sicut nauis sine gubernac̄lo
hincinde a fluctibꝰ impellit̄ ita hō remis
sus ⁊ suū ꝓpositū deserēs varie tēptat̄
Ignis p̄bat ferrū ⁊ tēptatō hoīem iu
stū. Nescimꝰ sepe q̄d possumꝰ sed tēpta
tio ap̄it q̄d sumꝰ. Vigilandū ē tm̄ p̄ci/

pue circa initiũ tēptatōis qꝛ tūc facili
us hostis vincit̄ si ostiũ mētis nulla/
tenus intrare siniť: sꝫ extra limē statiꝫ
vt pulsauerit illi obuiat̄ Vñ q̄daꝫ di
xit Principijs obsta sero medicina p̄
atur Cũ mala p̄ longas ꝯualuere mo
ras Nā p̄mo occurrit mēti simplex co
gitatio: deinde fortꝫ imaginatio. post
ea delectatio ⁊ mot⁹ prauus ⁊ assensio
Sicq́ꝫ paulatim ingredit̄ hostis ma/
lign⁹ ex toto dũ illi nō resistit̄ in p̄nci/
pio. Et q̄ꝫto diuti⁹ q̄s ad resistendum
torpuerit tāto in se q̄tidie debilior fit
⁊ hostis ꝯ eũ potētior Quidā in p̄nci
pio ꝯuersionis sue grauiores tēptatōes
patiũtur. q̄dam aũt in fine. q̄daꝫ v̄o q̄ꝗ
p̄ totā vitā suam male hñt Nōnulli sa
tis leuiter tēptant̄ f̄m diuine ordina/
tionis sapiaꝫ ⁊ eq̄tatem q̄ statũ ⁊ meri
ta hoīm pensat ⁊ cũcta ad electoꝝ suo
rũ salutez p̄ordinat. Jō non debem⁹
desp̄are cũ tēptamur. sꝫ eo feruenti⁹ de

um exorare q̄tenus nos in om̄i tribu
latōne dignet᷑ adiuuare. q̇ vtiq3 s᷒m di
ctū pauli talē faciet cū tēptatione pro
uentū vt possim⁹ sustinere. Humilie/
mus ergo aīas nr̄as sub manu di in om
ni tēptatione z tribulatione: qz humi
les spū saluabit z exaltabit. In tēpta/
tionib⁹ z tribulationib⁹ pbat᷑ hō quā
tū pfecit. z ibi maius meritū existit. et
ꝟtus melius patescit. Nec magnū est
si hō deuot⁹ sit z feruidus cū ḡuitatē
non sentit. sz si tpe aduersitatis patiē
ter se sustinet spes magni pfectus erit
Quidā a magnis tēptationib⁹ custo
diūtur z in puis q̄tidianis sepe vincū
tur vt hūiliati nunq̄ de seipis in ma/
gnis ꝯfidant qui in tā modicis infir
mantur.

De temerario iuditō vitādo Ca. XIIII

Ad teipm ocl'os reflecte. z alio
rū facta caueas iudicare. In
iudicādo alios hō frustra la/

borat. sepi⁹ errat ꝛ leuiter peccat. Se
ip̄m ꝓ iudicādo ꝛ discutiēdo sꝑ fru/
ctuose laborat Sic nob res cordi est.
sic de ea frequēter iudicam⁹. Nā verū
iudiciū ꝓpter ꝓuatū amorē faciliter ꝑ/
dim⁹. si de⁹ semꝑ esset pura intētio no
stri desiderij. non tā faciliter turbare⁊
mur ꝑ resistentia sensus nr̄i Sꝫ sepe
aliq̄d ab intra latet: vl̄ etiā ab extra cō
currit qđ nos etiā ꝑiter trahit. Mul
ti occulte seipsos querūt in reb⁹ quas
agūt ꝛ nesciūt. Vident̄ etiā i bona pa
ce stare: qn̄ res ꝑ eoꝝ velle fiūt ꝛ senti/
re. Si aūt aliter fit q̄ꝫ cupiūt: cito mo/
uentur ꝛ tristes fiūt. Propter diuersi
tatē sensuū ꝛ opinionū satis freq̄ter
oriūtur dissensiones inter amicos ꝛ ci
ues. inter religiosos ꝛ deuotos Anti
qua ꝯsuetudo difficulter relinq̄tur et
vltra ꝓpriū videre nemo libēter ducit̄
Si rationi tue mag̾ inniteris vl̄ in/
dustrie q̄ꝫ ꝟtuti subiectiue ihu xp̄i ra/

ro ꝛ tarde eris hō illuminatꝰ. qꝛ deus
vult nos sibi ꝑfecte subiici: ꝛ oēm rati
onē ꝑ inflāmatū amorē trāscendere

De opibꝰ ex charitate Capi. XV.

Pro nulla re mundi ꝛ ꝓ nulliꝰ
hoīs dilectiōe aliq̄d malū ē fa
ciendū. sȝ ꝓ vtilitate indigen
tis opus bonū aliq̄n intermittenduȝ
est aut etiam pro meliori mutandum
hoc em̄ facto opus bonū nō destruit
sed in melius cōmutat. Sine charita
te opus externū nihil ꝓdest. q̄cq̄d aūt
ex charitate agitur q̄ntūcūq; etiā par
uū sit et despectū totū efficitur fructu
osuȝ Magis siquidē deꝰ pensat ex q̄n
to quis agit: q̄ȝ quantū q̄s facit Mul
tū facit q̄ multū diligit Multū facit q̄
rē bn̄ facit. Bene facit q̄ magis cōmu
nitati q̄ȝ sue volūtati seruit Sepe vide
tur esse charitas ꝛ est magꝭ carnalitas
quia carnalis inclinatio. ꝓpria volun
tas. spes retributionis. affectꝰ cōmo

ditatis raro abesse volũt. Qui verã ꝛ ꝑfectã charitatẽ hʒ. in nulla re seipm querit. sʒ dei solũmodo gl'iam in oib⁹ fieri desiderat. Nulli etiã inuidet. qꝛ nullũ ꝓuatuʒ gaudiũ amat. nec in se/ ipo vult gaudere. sʒ in deo sup oĩa bo na optat beatificari. Nemĩ aliq̃d bo/ ni attribuit: sed totaliter ad deũ refert a quo fontaliter oĩa ꝑcedũt. in quo finaliter oẽs sancti fruibiliter q̄escũt. O qui scintillã haberet vere charita/ tis. ꝑfecto oĩa terrena sentiret plena fore vanitatis:

De sufferentia defectuum aliorum. Capi. XVI.

Que hõ in se vl' in alijs emẽda re non valet. debet patiẽter su stinere donec deus aliter ordi net. Cogita qꝛ forte sic melius est pro tua ꝓbatione ꝛ patientia. sine qua nõ sunt multũ põderãda merita nr̃a. De bes tñ ꝓ talibus impedimẽtis suppli

Jhūs

care. vt deus tibi dignetur subuenire et
possis benigne portare. Si q̄s semel
aut bis admonitus nō acquiescit no/
licū eo contēdere. sed totū deo cōmit-
te vt fiat volūtas ei⁹ ꝛ honor in omni
bus fuis suis. q̄ scit bn̄ mala in bonū
cōuertere . Stude patiēs esse in tole/
rādo alioꝝ defectus ꝛ qualescūq; īfir
mitates. qꝛ ꝛ tu multa habes que ab a
liis optet tolerari Si nō potes te talē
facere qualē vis: qūo poteris aliū hr̄e
ad tuū bn̄placitū. Libēter habem⁹ ali
os pfectos. ꝛ tn̄ ꝓprios non emēdam⁹
defect⁹. Volum⁹ q̄ aliꝗ stricte corrigā-
tur. ꝛ ipi corrigi nolum⁹. Displicet lar
ga alioꝝ licentia. ꝛ tn̄ nob nolum⁹ ne
gari qđ petim⁹. Alios restringi p sta/
tuta volum⁹. ꝛ ipi nullaten⁹ patimur
ampli⁹ cohiberi. Sic ḡ patꝫ q̄ꝫ raro p
ximū sicut nos ipos pensam⁹ Si eēnt
om̄es pfecti q̄d tunc haberem⁹ ab aliꝗs
pro deo pati. Nūc aūt deus sic ordina

nit: vt discam⁹ alter alteri⁹ onera por/
tare. q2 nēo sine defectu. nēo sine one/
re. nemo sibi sufficiēs: nemo sibi satis
sapiens. sed optet nos inuicē portare
inuicē ꝯsolari. ꝑiter adiuuare. instrue
re ⁊ admonere. Quāte aūt virtutꝪ q̄s
q̃ fuerit melius patet occasiōe aduer/
sitatis Occasiones nāq̃ hoīem fragi
lem non faciūt sꝫ q̄lis sit ostendūt

De monastica vita. Ca. XVII

Oportet vt discas teip̄m in mł
tis frangere si vis pacē ⁊ con/
cordiā cū alijs tenere. Nō est
paruuꝫ in monasterijs vł in cōgrega/
tione habitare. ⁊ ibi sine querela ꝯuer
sari ⁊ vsq̃ ad mortē fidelis ꝑseuerare.
Btūs quidē qui ibi bn̄ vixit. ⁊ feliciť
cōsummauit. Si vis debite stare ⁊ ꝓ
ficere teneas te tāq̃ exulē ⁊ ꝑegrinū su
ꝑ terrā Oportet te stultū fieri ꝓpť xp̄m
Si vis religiosam ducere vitā habi/
tus ⁊ tonsura modicū cōferūt. sꝫ mu/

tatio moꝝ ꝛ integra moꝛtificatio paſ ſionū verū faciūt religioſuꝫ Qui aliđ querit q̄ꝫ purc deū ꝛ aīe ſue ſalutē. nō i ueniet niſi tribulatōeꝫ ꝛ doloꝛeꝫ. Nō pōt etiā diu ſtare pacific⁹ q̄ nō nitiꝛ eē minimus ꝛ oībus ſubiect⁹ Ad ſuiendū veniſti nō ad regendū. Ad patiendū ꝛ laboꝛandū ſcias te vocatū. non ad o ciandū vel fabulandū Hic ḡ pꝛobanꝛ hoīes ſicut auꝝ in foꝛnace. Hic nemo poteſt ſtare niſi ex toto coꝛde ſe volue rit ꝓpter deū humiliare.

De exēplis ſctōꝝ patrū. Ca. XVIII

Intuere ſanctoꝝ patrū ferui/ da exēpla: in q̄bus vera perfe ctō refulſit ꝛ religio: ꝛ videbis q̄ꝫ modicū ſit ꝛ pene nihil qđ nos agi mus. Heu quid eſt vita nr̄a ſi illis fu erit cōpata. Sancti ꝛ amici xp̄i dn̄o ſ uierūt in fame ꝛ siti: in frigoꝛe ꝛ nudi/ tate. in labore ꝛ fatigatōe. in vigilijs ꝛ ieiunijs. in oꝛationib⁹: in ꝑſecutioni/

bus ꝛ opprobrijs mltis. Q̄z mltas ꝛ
graues tribulatões passi sunt aposto
li. martyres confessores virgines ꝛ re
liqui oēs: qui xp̄i vestigia voluerūt se-
qui. Nā aīas suas in hoc mūdo oderūt
vt in eternā vitā eas possiderēt. O q̄z
strictā ꝛ abdicatā vitā sancti p̄res ī he
remo duxerūt. q̄z longas ꝛ graues tē
ptatōnes pertulerūt. q̄z frequēter ab
inimico vexati sunt. q̄z crebras ꝛ serui
das orationes deo obtulerūt. q̄z rigi-
das abstinentias pegerūt. q̄z magnū
zelū ꝛ feruorē ad spiritualē p̄fectū ha-
buerūt q̄z forte bellū aduersus edoma
tionē vitiorꝝ gesserūt. q̄z purā ꝛ rectā ī
tentionē ad deū tenuerūt. Per diē la-
borabāt ꝛ noctib9 orationi diuine va
bant quāq̄ laborādo ab oratione mē
tali minime cessarēt. Oīne tp̄s vtiliter
expendebāt. oīs hora ad vacandū deo
breuis videbat. ꝛ pre magna dulcedīe
ꝯtēplationis etiā obliuioni tradebāt

necessitas corporalis refectionis. Om-
nib⁹ diuitijs dignitatibus honorib⁹
amicis ⁊ cognatis renūciabāt. nil de
mūdo habere cupiebāt vix necessaria
vite sumebāt: corpi suire etiā in neces-
sitate dolebāt. Paupes igit̄ erāt rebus
terrenis. sȝ diuites valde in gr̄a ⁊ vir
tutibus. Foris egebāt. sed intus gr̄a
⁊ ꝯsolatione diuina reficiebāt̄. Mun
do erāt alieni. sȝ deo ꝓximi ac familia
res amici. Sibi ipsis videbant̄ tan
q̄ȝ nihili ⁊ huic mūdo despecti. sȝ erāt
in ocl'is dei preciosi et electi. In ꝟa hu
militate stabant. in simplici obediētia
viuebāt. in charitate et patiētia ambu
labant: ⁊ iō q̄tidie in spū ꝓficiebant. ⁊
magnā apd deū gr̄am obtinebāt. Da
ti sunt in exemplū omib⁹ religiosis. ⁊
plus ꝓuocare nos dñt ad bñ ꝓficien-
dū q̄ȝ tepidoꝝ nūerus ad relaxanduȝ
O quātus feruor oim religiosoruȝ in
ꝑncipio sue sancte institutiōis fuit. O

quāta devotō orationis: quāta emu/
latio virtutis: q̄z magna disciplina vi
guit: q̄nta reuerētia z obediētia sub re
gula magistri in om̄ibus effloruit Te
stanẗ adhuc vestigia derelicta q̄ ꝓe vi
ri sancti z perfecti fuerūt. q̄ tā strenue
militātes mundū suppeditauerū. Iā
magnus putaẗ si quis trāsgressor nō
fuerit. siquis qđ accepit cū patiētia to
lerare potuerit Ad tēporis z negligē/
tie status nr̄i q̄ tā cito declinamꝰ a pri
stino feruore. z iam tedet viuere p̄ las
situdine z tepore. Utinā in te penitus
non dormitet ꝓfectus virtutū. q̄ mul
ta sepius exempla vidisti deuotoꝝ.

De exercitijs boni reli
giosi Capitu. XIX

Vita boni religiosi oībus ꝟtu
tibus pollere debet vt sit talis
interius q̄lis videẗ homini/
bus exterius. Et merito multo plus
debet esse intus. q̄z qđ cerniẗ foris. qr

inspector nr̄ est dus quē summopere reue
reri debem⁹ vbicūqꝫ fuerim⁹. ⁊ tanq̄ꝫ
angeli in cōspectu ei⁹ mundi incedere
Omni die renouare debem⁹ ꝓpositū
nr̄m ⁊ ad feruorē nos excitare q̄si ho/
die primū ad ꝯuersionē venissem⁹. at
qꝫ dicere. Adiuua me dn̄e dus me⁹ in
bono ꝓposito ⁊ scō seruitio tuo: ⁊ da mi
hi nūc hodie pfecte incipe: qꝛ nihil ē
qđ hacten⁹ feci. Scđm ꝓpositū nr̄m
cursus ꝓfectus nr̄i ⁊ multa diligentia
opus ē bn̄ ꝓficere volēti. q̄ si fortiter
proponēs sepe deficit. q̄d ille qui raro
aut min⁹ fixe aliq̄d ꝓponit. Varijs tn̄
modis ꝯtigit desertio ꝓpositi nr̄i: ⁊ le/
uis omissio exercitioꝝ vix sine aliq̄ di
spēdio trāsit Justoꝝ ꝓpositū in grā di
poti⁹ q̄ꝫ in ꝓpria sapiētia pēdet. in quo
⁊ sempꝫ ꝯfidūt q̄cquid arripiūt. Nam
hō ꝓponit sed ds disponit: nec est ī ho
mine via ei⁹. Si pietas causa aut fra
terne vtilitatis ꝓposito qn̄qꝫ consuetū

omittitur exercitiū. facile postea pote-
rit recuperari. Si aūt tedio animi aut ne
gligētia faciliter relinquit̄. sat⁊ culpa
bile est ⁊ nociuū sentiet̄. Conemur q̄3
tū possum⁹ adhuc leuiter d̄ficiem⁹ in
multis Semꝑ tn̄ aliq̄d certi ꝓponen-
dū est ꝯtra illa precipue que amplius
nos īpediunt. Exteriora nr̄a ⁊ interi
ora pariter a nob̄ scrutāda sunt ⁊ or-
dinanda: q2 vtraq3 expediūt ad ꝑfectū
Si non cōtinue te vales colligere sal
tez interdū: ⁊ ad min⁹ semel in die. ma
ne videlicet aut vespe. Mane ꝓpone.
vespe discute mores tuos q̄lis hodie
fuisti in v̄bo ope ⁊ cogitatōe. q2 ī his
sepius forsitā deū offendisti ⁊ ꝓximū
Accinge te sicut vir contra dyaboli-
cas nequicias. frena gulam ⁊ omnis
carnis inclinationem facilius frena
bis Nunq̄3 sis ex toto ociosus. s3 aut
legēs aut scribēs aut orās aut meditās

aut aliquid vtilitatis ꝑ cõmuni labo
rãs . Coꝛpalia exercitia discrete sunt
agenda. nec oĩbus eq̃liter assumenda
Que cõmunia nõ sunt non sunt foris
oñdẽda nã in secreto tutiꝰ exercẽt ꝑua
ta. Cauendũ tñ ne piger sis ad cõmu/
nia. ꝛ ad singularia ꝓmptioꝛ. sꝫ exple/
tis integre ꝛ fideliter debitis ꝛ iniun
ctis si iã vltra vacat. redde te tibi ꝓut
deuotio tua desiderat. Nõ pñt oẽs ha
bere vnũ exercitiũ. sꝫ aliđ isti. aliud il/
li magis deſuit Etiã pro tẽpoꝝ ꝯgru
entia diuersa placẽt exercitia. qꝛ alia i
festis. alia in feriatis magis sapiũt di
ebus. Aliȷ̃s indigemꝰ tpe tẽptatõnis
ꝛ aliȷ̃s tpe pacis ꝛ q̃etis Alia cũ trista
mur libꝫ cogitare. ꝛ alia cũ leti in dño
fuerimꝰ Circa principalia festa reno/
uãda sunt bõa exercitia ꝛ sctõꝝ suffra
gia feruentiꝰ implorãda. De festo i fe
stũ proponere debemꝰ. q̃si tũc de hoc
seculo migraturi simꝰ ꝛ ad eternũ festũ

ꝑuenturi. Jōq solicite nos p̄ꝑare de/
bem⁹ in deuotis tꝑibus ⁊ deuoti⁹ cō
uersari. atq oēm obseruantiā stricti⁹
custodire. tāq in breui premiū laboꝝ
nr̄i a deo ꝑcepturi. Et si dilatatū fue
rit credam⁹ nos min⁹ bn̄ p̄parotos at
q indignos tāte adhuc glie. q̄ reuela/
bitur in nob tꝑe prefinito ⁊ studeam⁹
nos melius ad exitū p̄parare. Beat⁹
suus ait euāgelista. Lucas quē cū ve
nerit dn̄s inuenerit vigilantē Amen
dico vob suꝑ oia bona sua ꝯstituet eū

De amore solitudis ⁊ silētij Ca.XX

Q Uere aptū tꝑus vacādi tibi.
q ⁊ de bn̄ficijs dei frequēter co/
gita Relinq̄ curiosa Tales ꝑ
lege materias q̄ cōpunctōez magis p̄
stant q̄ occupatōez. Si te subtraxeꝝ
a suꝑfluis locutōib⁹ ⁊ ociosis circūiti
onibus: nec nō a nouitatib⁹ ⁊ rumori
bus audiēdis inuenies tꝑs sufficiēs

ꝛ aptū ꝑ bonis meditationibus insi/
stēdis. Maximi sctōꝝ humana ꝯsoꝛ
tia vbi poterāt vitabāt: ꝛ deo in secre/
to viuere eligebāt. Dixit quidā Quo
tiens inter hoīes fui minoꝛ hō rediȷ̄.
Hoc quippe sepiꝰ experimur. qn̄ diu ꝯ
fabulamur. Facilius ē oīno tacere: q̄z
verbo non excedere. Faciliꝰ est domi
latere: q̄z foris se posse sufficiēter custo
dire. Qui igiť intendit ad interioꝛa et
spūalia peruenire. opoꝛtet eū cū iesu a
turba declinare. Nemo secure apparꝫ
nisi qui libenter latet Nemo secure p̄
est. nisi q̄ libēter subest. Nemo secure
pꝛecipit: nisi qui libēter obedire didi
cit. Nemo secure gaudet. nisi qui bōe
cōscientie testimoniū habꝫ. Nemo se
cure loquitur nisi q̄ libēter tacet Sem
ꝑ tn̄ sctōꝝ securitas plena timoꝛis di
extitit Nec eo minus soliciti ꝛ hūiles
in se fuerūt. qꝛ magis virtutibꝰ ꝛ gr̄ia
emicuerūt. Prauoꝝ autē securitas ex

superbia ꝛ presumptione oritur. ꝛ in fi/
ne in deceptionem sui vertitur. Nunq̄
promittas tibi securitatem in hac vi
ta. q̄uis bonus videaris cenobita. aut
deuotus heremita. Sepe meliores in
estimatione hominū grauius piclita
ti sunt ꝓpter suā nimiam cōfidentiam
Vñ multis vtilius est vt nō penitus
tēptationibus careant. sed sepius im/
pugnentur. ne nimium securi sint. ne
forte in superbiam eleuentur. ne etiaꝫ
ad exteriores cōsolatōes licentius de
clinent. O qui nunq̄ transitoriam le
ticiaꝫ quereret. qui nunq̄ cū mūdo se
occuparet: q̄ꝫ bonam conscientiā ser/
uaret. O qui omnem vanam solicitu
tudinem amputaret. ꝛ dumtaxat salu
taria ac diuina cogitaret. ꝛ totam speꝫ
suam in deo constitueret: q̄ꝫ magnam
pacem et quietem possideret. Nemo
dignus est celesti consolatione nisi di

ligenter se exercuerit. in sancta com/
punctione. Si vis cordetenus com/
pungi intra cubile tuum ꝛ exclude tu
mult⁹ mūdi. sicut scriptū est. In cubi/
libus vr̄is cōpungimi. In cella inue
nies qꝺ de foris sepius amittes. Cella
cōtinuata dulcescit. ꝛ male custodita
tediū generat. Si in ꝑncipio ꝯuersio
nis tue bn̄ eā incolueris ꝛ custodieris
erit tibi postea dilecta amica ꝛ gratissi
mū solatiū. In silētio ꝛ quiete ꝓficit a
nima deuota. ꝛ discit abscōdita scrip
turarū: ibi inuenit fluēta lachrimarū
quibꝫ singulis noctib⁹ se lauet ꝛ mun
det vt cōditori suo tāto familiarior fi
at q̄to longius ab omī seculari tumul/
tu degit. Qui g̃ se abstrahit a notis. ꝛ
amicis appropinq̄bit illi de⁹ cū ange/
lis sanctis Melius est latere ꝛ sui cu
rā agere q̄ȝ se neglecto sig̃ facere Lau/
dabile est hoī religioso raro foras ire
fugere videri: nolle etiā hoīes videre.

Quid vis videre qđ nō licet hr̄e Trā
sit mūdus ꝛ cōcupiscētia ei⁹. Trahūt
desideria sensualitatis ad spaciādum
sed cū hora trāsierit. q̄d nisi grauitatē
ꝯscie ꝛ cordis dispsionē importas Le
tus exitus tristē sepe reditū parit. ꝛ le
ta vigilia serotīa triste mānē facit Sic
om̄e carnale gaudiū blāde intrat. sed
in fine mordet ꝛ ꝑimit. Quid potes a
libi videre qđ hic nō vides. Ecce celū
ꝛ terrā ꝛ oīa elemēta. nā ex istis oīa sūt
facta. Quid potes alicubi videre qđ
diu potest sub sole ꝑmanere Credis te
forsitan satiari sȝ nō poteris ꝑtingere
Si cūcta videres pn̄tia q̄d essent nisi
visio vana Leua oclos tuos ad deuȝ
in excelsꝭ. ꝛ ora ꝑ peccatis tuis ꝛ negli
gentijs. Dimitte vana vanis. tu aūt
intēde illis que tibi p̄cepit deus Clau
de sup te ostiū tuū: ꝛ voca ad te ihm̄ di
lectū tuū. Mane cū eo in cella: q꞉ nō
inuenies alibi tātaȝ pacē. Si nō exis

ses. nec quicq̃ ꝺ rumoribus audisses
melius in bona pace ꝑmansisses. Ex
quo noua delectat aliqñ audire. opꝫ
te exinde turbationẽ cordis tolerare.

De cõpunctione cordis. Ca. XXI

Si vis aliq̃d proficere ꝯserua
te in timore dei. ⁊ noli esse ni-
mis liber. sꝫ sub disciplina co
hibe oẽs sensus tuos nec inepte te tra
das leticie. Da te ad cordis cõpunctõ
nem. ⁊ inuenies deuotionẽ. Cõpun
ctio mlta bona apit. q̃ dissolutio cito
perdere ꝯsueuit. Mirꝫ est ꝙ hõ possit
vnq̃ ꝑfecte letari in hac vita. qui suũ
exiliũ ⁊ tã multa ꝑicula aĩe sue cõside-
rat ⁊ pẽsat. Propter leuitatẽ cordis et
negligentiã ꝺfectuũ nroꝝ nõ sentimꝰ
aĩe nostre dolores: sꝫ sepe vane ridemꝰ
qñ merito flere deberemꝰ. Non est ve
ra libertas nec bõa leticia nisi in timo
re dei cũ bona conscĩa. Felix q̃ abiĳcere
potest omne impedimentũ distractio

nis. ꝛ ad vnionē se redigere sctē cōpun
ctionis Felix qui a se abdicat quicq̄d
conscientiā suaʒ maculare potest vł g̃
uare. Certa viriliter. cōsuetudo ꝯsue
tudine vincitur. Si tu scis hoīes di/
mittere ipi bene te dimittēt tua fctā fa
cere. Nō attrahas tibi res alioꝝ: nec
te implices causis maiorum Habe sp̱
oculum sup̱ te primū ꝛ admoneas te/
ipm̄ specialiter pre oībus tibi dilectis
Si non habes fauoreʒ hoīm noli ex
hoc tristari sed hoc sit tibi graue qꝛ nō
habes te satꝫ bn̄ ꝛ circūspecte. sicut dce
ret dei seruū ꝛ deuotū religiosum con
uersari. Utilius est sepe ꝛ securius ꝙ
hō non habeat multas cōsolatōes in
hac vita ꝭm carnē precipue. tn̄ ꝙ diui
nas non habemus aut rarius senti/
mus nos in culpa sumus. quia com/
punctionem cordis non querim⁹ nec
vanas externas consolationes omni
no abiicimus. Cognosce te indignū

diuina consolatione. sz magis dignū
multa tribulatione Qñ hō pfecte ē cō
punctus. tūc grauis τ amar⁹ est ei to/
tus mund⁹ Bon⁹ hō sufficientē inue
nit materiā dolendi τ flendi. Siue ei
se ꝯsiderat siue de ꝓximo pēsat scit qꝛ
nemo sine tribulatōe hic viuit Et q̄n
to strictius sese cōsiderat: tāto mplius
dolz Materie iusti doloris τ interne
cōpunctōis sunt peccata τ vicia nr̄a q̄
bus ita īuoluti iacem⁹ vt raro celestia
contēplari valeam⁹ Si frequētius d̄
morte tua q̄ȝ de longitudīe vite tue co
gitares. non dubiū quin feruenti⁹ te
emēdares. Si etiā futuras inferni si
ue purgatorij penas cordialiter ꝑpen
deres credo ꝙ libēter laborē τ dolorē
sustineres: τ nihil rigoris formidares
Sz qꝛ ad cor ista nō trāseunt. τ blan/
dimēta adhuc amam⁹. iō frigidi τ val
de pigri remanem⁹. Sepe est inopia
spūs vñ tā leuiter conq̄ritur miserum

corpus. Ora igiť hũiliter ad dñm. vt
det tibi cõpũctõis spm̃: dic cũ pro
pheta. Ciba me dñe pane lachrimarũ
ꝛ potũ da mihi in lachrimis ĩ mẽsura

De ꝯsideratõe hũane miserie
Capi. XXII.

MIser es vbicũq̃ fueris ꝛ quo
cũq̃ te verteris. nisi ad deũ te
conuertas Quid turbaris qꝛ
non succedit tibi sicut vis ꝛ desideras
Quis est q̃ hꝫ oĩa ſm suã volũtatem.
Nec ego nec tu. nec aliq̃s hoĩm super
terrã Nẽo est in mũdo sine aliq̃ tribu
bulatõe vł angustia. q̃uis rex sit vł pa
pa. q̃s est qui meli⁹ hꝫ vtiq̃ q̃ pro deo
aliq̃d pati valet. Dicũt mlti imbecil-
les ꝛ infirmi Ecce q̃ bonã vitã ille hõ
hꝫ. q̃z diues: q̃ potens: q̃z excelsus: q̃
magn⁹ ꝛ q̃z pulcer. Sꝫ attẽde ad cele
stia bõa ꝛ videb ꝙ oĩa ista tpalia nul
la sunt. ſꝫ valde incerta ꝛ magis grauan
tia. qꝛ nunq̃ sine solicitudine ꝛ timore

possident. non ē hoīs felicitas habere
tpalia ad abundātiaȝ. sȝ sufficit ei me/
diocritas. Uere miseria ē viuere sup
terrā. quāto hō voluerit esse spūalior.
tanto pñs vita fit ei amarior. qꝛ sentit
meli⁹. ꝛ videt clari⁹ humane corrupti
onis defectus. Naȝ cōmedere bibere
vigilare dormire q̄escere laborare. ꝛ ce
teris necessitatib⁹ nature subiacere ꝟe
magna miseria est ꝛ afflictio hoī deuo
to q̄ libēter esset absolut⁹ ꝛ liber ab oī
pctō Ualde em̄ grauatur interior hō
necessitatib⁹ corꝑalibus in hoc mun
do. Un̄ ꝓpheta deuote rogat q̄ten⁹ lib
ab istis esse valeat dicēs. De necessita
tib; meis erue me dn̄e. Sȝ ve nō ꝯgno
scentib; suā miseriā: ꝛ ampli⁹ ve illis q̄
diligūt hāc miseriā ꝛ corruptibileȝ vi/
tā. Nā intantū q̄daȝ hāc amplectunt
licet etiaȝ vix necessaria laborādo aut
mēdicādo habeāt vt sibi possent ip̄ vi
uere de regno dī nihil curarēt. O insa

ni ꝛ infideles corde q̄ taz profunde in
terris iacēt vt nil nisi carnalia sapiāt
Sz miseri adhuc in fine g̃uiter sentiēt
q̄ꝫ vile ꝛ nihilū erat qḋ amauerūt. Sā
cti aūt dī ꝛ oēs deuoti amici xp̄i nō at
tenderūt que carni placuerūt nec q̄ in
hoc tp̄e floruerūt. sz tota spes eoꝝ ꝛ in
tentio ad eterna bona anhelabat: fere
bat totū desideriū eoꝝ ad mā̄sura ꝛ in
uisibilia: ne amore visibiliū traherent
ad infima: noli frater amittere ꝯfiden
tiaz ꝑficiēdi ad spūalia: adhuc habes
tp̄s ꝛ horā Quare vis ꝓcrastinare ꝓ/
positū tuū. Surge ꝛ in instāti incipe
ꝛ dic Nūc tp̄s est faciēdi: nūc tp̄s ē pu
gnādi. nūc tp̄s aptū est emēdandi Qn̄
male habes ꝛ tribularis tūc temp⁹ est
promerendi. Oportet te transire per
ignem et aquam anteq̄ꝫ venias in re/
frigerium. Nisi tibi vim feceris vici/
uꝫ nō superabis. Quādiu istḋ fragile

corpus gerimus sine peccato esse nō
possum⁹ nec sine tedio ⁊ dolore viuere
Libēter haberem⁹ ab om̄i miseria q̄e
tē sz qꝛ p̄ peccatū perdidim⁹ innocētiā
amisim⁹ etiā verā beatitudinē. Jō op
tet nos tenere patientiā ⁊ di expectare
misc̄diam donec trāseat iniq̄tas hec: ⁊
mortalitas absorbeat̄ a vita O quāta
fragilitas hūana q̄ semp̄ p̄na est ad vi
cia Hodie ꝯfiteris peccata tua ⁊ cras
iterū ꝑpetras ꝯfessa. Nūc ꝓponis ca-
uere, ⁊ post horā agis q̄si nihil ꝓposuis-
ses. Merito ḡ nos ip̄os hūiliare pos-
sum⁹: nec vnq̄z aliq̄d magni de nobis
sentire. qꝛ taz fragiles ⁊ instabiles su
m⁹. Cito etiā potest ꝑdi p̄ negligētiaz
qd̄ multo labore vix tandē acq̄situz ē
p̄ grām. Quid fiet de nob̄ adhuc in fi
ne q̄ tepescim⁹ tam mane. Ve nob̄ si sic
volum⁹ declinare ad quietē q̄si iā pax
sit ⁊ securitas: cū necdū appareat vesti
giū v̄e sanctitatis in n̄ra cōuersatōne

Bene opus esset q adhuc iterũ insti/
tuerũt tanq̃ bõi noviciј ad mores op
timos. si forte spes esset de aliq̃ futu/
ra emẽdatione et maiori spũali pfectu
De meditatõe mortis. Ca. XXIII
V Alde cito erit tecũ hoc factũ
Vide aliter quõ te habeas: ho
die hõ est et cras nõ cõpet. Cũ
aũt sublatus fuerit ab ocl'is cito etiaꝫ
trãsit a mente. O hebetudo et duricia
cordis hũani q soliũ pñtia meditatur
et futura nõ magis puidet Sic te in oi
facto et cogitatu deberes tenere q̃i sta/
tim ecs moriturus. Si bonã ↄsciam
haberes non multũ mortem timeres
Meli⁹ eẽt pctã cauere q̃ꝫ mortẽ fugere
Si hodie nõ es parat⁹ quõ cras eris
Cras ẽ dies incerta. et q̃d scis si crasti/
nuꝫ hẽbis. Quid pdest diu vivere qñ
tã paꝝ emẽdamur. Ab longa vita nõ
semp emẽdat. sꝫ sepe culpã magis augꝫ
Utinã p. vnã diẽ bñ essem⁹ cõuersati i

hoc mūdo. Multi annos cōputāt cō/
uersionis sed sepe puus ē fructus emē
datiōis. Si formidolosuz ē mori. for
sitan piculosi⁹ est diuti⁹ viuere. Btūs
q̄ horā mortis sue sp añ oculos hz. ad
moriendū q̄tidie se disponit. si vidisti
aliq̄n hoiez mori: cogita q2 z tu p eā
dē viā trāsibis. Cū māe fuerit puta te
ad vesperū nō puenturū Uespere aūt
fctō: mane non audeas tibi polliceri.
Sp ḡ parat⁹ esto. z taliter viue vt nū/
q̄z te iparatū mors inueniat Multi sbi
to z improuise moriūtur nam hora q̄
non putat filī⁹ hoīs ventur⁹ est Qñ il/
la extrema hora venerit: multuz aliter
sentire incipies de tota vita tua p̄teri
ta. z valde dolebis q᷑ tā negligēs z re
missus fuisti: q̄z felix z prudēs q̄ talis
nūc nititur esse in vita q̄lis optat inue
niri in morte. Dabit nāq3 magnā ꝯfi/
dentiā feliciter moriēdi pfect⁹ cōtēpt⁹
mūdi: feruēs desideriū in virtutibus

proficiendi. amor discipline. labor pe
nitētie. promptitudo obediētie: abne
gatio sui et supportatō cuiuslibz aduer
sitatis pro amore christi. Multa bōa
potes operari duz sanus es. sed infir
matus nescio quid poteris. Pauci ex
infirmitate emendantur: sicut qui mul
tum peregrinātur raro sanctificātur.
Noli confidere sup amicos et primos
nec in futuris salutē tuaz differas. qz
citius obliuiscenf tui homines q̄z esti
mas. Melius est nūc tempestiue pui
dere et aliquid boni premittere. q̄z sup
alio auxilio sperare Si nō es pro te
ipo solicit⁹ modo. quis erit pro te soli
citus in futuro. Nūc tempus est val
de preciosuz. sed proh dolor q̄ hoc in
utilius expendis. in quo promereri
vales vnde eternaliter viuas. Ueni/
et quando vnuz diem seu horam pro
emendatōe desiderabis et nescio an in
petrab. Eia charissime de q̄nto picl'o

te poteris liberare: de q̄z magno timo
re eripe. si mō sp timoratus fueris et
de morte suspect⁹. Stude nūc taliter
viuere: vt in hora mortis valeas poti
us gaudere q̄z timere Disce nūc mori
mūdo. vt tūc incipias viuere cū xp̄o.
Disce nūc oīa ꝯtēnere: vt tūc possis li
bere ad xp̄z ꝑgere Castiga nūc corp⁹
tuū ꝑ penitētiā vt tūc valeas certā hr̄e
ꝯfidentiā Ah stulte q̄d cogitas te diu
victurū cū nullū diē habeas securum
Quā mlti decepti sunt: ⁊ insperate de
corpe extracti. Quotiēs audisti a dicē
tib⁹: q² ille gladio cecidit: ille submer/
sus est. ille ab alto ruēs ceruicē fregit.
ille māducādo obriguit. ille ludēdo fi
nē fecit. ali⁹ igne ali⁹ ferro. ali⁹ peste. ali
us latrocinio ꝑijt: ⁊ sic omnium finis
mors ē: ⁊ vita hoīm tanq̄z vmbra subi
to ꝑtrāsit. Quis memorabit tui post
mortem ⁊ q̄s orabit ꝑ te. Age age nūc
charissime q̄cq̄d agere potes q² nescis

qn̄ morieris. nescis etiā quid tibi post
mortē sequet̄. Dū tps habes cōgrega
tibi diuitias imortales. Preter salu-
tē tuā nihil cogites: solū q̄ dei sunt cu-
res. Fac nūc tibi amicos venerando
dei sctōs. et eorum act⁹ imitādo. vt cū de-
feceris in hac vita illi te recipiāt in et
na tabnacula Serua te tāq̄ pegrinū
et hospitē sup terram. ad quē nihil spe
ctat de mūdi negocijs. Serua cor libe
rū et ad deū sursum erectū: quia nō habes
hic manētē ciuitatē Illuc p̄ces et ge-
mitus q̄tidianos cū lachrymis dirige
vt spūs tu⁹ mereatur post mortem ad
dn̄m feliciter trāsire. Amē.

De iudicio et penis pctōrum Ca. XXIIII

In oībus reb⁹ respice finē. et q̄
liter an̄ districtū iudicē stab.
cui nihil ē occultū. q̄ muneri-
bus nō placat̄. nec excusatōes recipit:
sz qd iustū est iudicabit O miserrime
et incipiēs pctōr. quid rn̄debis deo. omia

mala tua scisti: qui interdū formidas vultum hoīs irati. Et q̄d non preui-des tibi ī die iudicij qn̄ nemo poterit per aliū excusari vel defendi. sed vnus q̄sq₃ sufficiens onus erit sibiip̄i. Nūc labor tuus est fructuosus. fletus acce-ptabilis. gemitus exaudibilis. dolor satisfactorius ꝛ purgatiuus. Hz ma-gnū ꝛ salubre purgatoriū patiēs hō. q̄ suscipiēs iniurias plus dolet de alte-terius malicia q̄₃ de sua iniuria. q̄ pro ꝯtrariātibus sibi libēter orat. ꝛ ex cor de culpas indulget: qui veniā ab alijs petere nō retardat. qui facili⁹ miseret q̄₃ irascitur. qui sibiip̄i violentia₃ fre-quēter facit. ꝛ carnē suā oīno spūi sub iugare conatur Meli⁹ est mō purgare peccata ꝛ vicia resecare q̄₃ ī futuro pur gāda reseruare Uere nosip̄os decipi m⁹ p̱ inordinatu₃ amorem quē ad car nem habemus Quid aliud ille ignis deuorabit nisi peccata tua. Quanto

amplius tibi ipi nunc parcis ⁊ carnē
sequeris. tanto durius postea lues. ⁊
maiorem materiam cōburēdi reſuas
In quibus hō peccauit. in illis graui
us punietur. Ibi accidiosi ardentibꝫ
